DE TRIBUNIS PLEBIS USQUE AD DECEMVIRALEM POTESTATEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. MARTII A. MDCCCLVI

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES STEPHANUS WOLFRAM

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

M. KRAUTHOFER, CAND. JUR.

J. SYPNIEWSKY, CAND. JUR.

A. WITKOWSKI, CAND. PHIL.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

AMICO

OPTIMO HUMANISSIMO

ALEXANDRO A GUTTRY

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

DE CAUSIS ET ORIGINE TRIBUNICIAE POTESTATIS.

Populus Romanus duabus ex partibus constabat, ex patriciis et plebejis. Discrimen id jam inde a primordio Urbis fuisse, plebejorumque numerum initio parvum, vicinis Romae urbibus imprimis ab Anco rege expugnatis, civibusque earum Romam transductis brevi tempore valde auctum esse, pro certo habeo. Patricii tamen soli revera cives erant, soli honoribus ornati, participesque agri publici magistratibus fungebantur; plebeji autem nihil aliud habebant, nisi officia in civitate exsequenda agrumque colendum. Qua in re contentionis et certaminis, quod postea inter patricios et plebejos exstitit causa quaerenda est. In plebejis enim, quorum numerus mox patriciorum numero longe major fuit, viros fuisse, qui in patria inter cives auctoritate, honoribus et divitiis multum valuerant, eosque in servorum quasi statum redactos aegre tulisse, quod civitate et quaecunque habuerint spoliati, in nova, quae ipsis Roma facta erat patria, praeter quandam libertatem, paene nihil amplius acceperint, necessario credendum est. Atque jam regum temporibus contentionem

quandam inter utrumque civitatis partem fuisse, inde conjici potest, quod Prisco regnante magna plebejorum pars in patriciorum gentes recepta est non invitis patriciis, ut videtur, quorum numerus plebejorum numero longe minor eo modo augebatur; simul autem plebejis aliquid satisfactum, quum viderent, ne sibi quidem patriciorum honores et jura plane praeclusa esse. Periculo tamen reipublicae a plebejis, quorum conditio minime mutata est, imminenti eo modo nondum sublato, Servius Tullius, nova, quam reipublicae Romanae dedit forma, providere studuit, nihil aliud sane spectans, nisi ut discrimen adhuc inter patricios et plebejos praevalens tempore aliquando tolleretur. Quamquam vero nulla plebejis publica jura Servii legibus data sunt, quum ille militari magis, quam civili rei intentus id praecipue spectaret, ut militum numerus adhibitis tot incolis augeretur, tamen, quum generis auctoritas imminuta esset, divitiarum autem valere coepisset, plebeji sensim progressi sunt civesque facti. Quibus legibus quid effectum fuerit maxime apparet in certamine, quod non multum post reges exactos inter duos civitatis ordines exarsit. Magna enim plebejorum pars sine dubio aegre ferebant, quod, qui in urbibus suis inter principes fuerant Romae infimum tenerent locum; ceteri autem plebeji, licet ipsis, quum et in patria urbe in plebejis fuissent et Romam transducti nihil nisi locum mutassent, novus rerum status minus acerbus videretur, tamen, cum quos olim dominos, eos tunc sibi pares et miseriae socios viderent, sine dubio rebus eorum stude-

bant, qui tantum abfuit, ut negligerent eos, ut, quum eorum opera aliquando ad majorem dignitatem sese perventuros esse sperarent, amicos sibi facere conarentur. Quamdiu tamen reges Romae erant, qui inter patricios et plebejos medii, quum utrorumque ipsis auxilio opus esset, patriciorum, quorum auctoritate et opibus contra plebejos, plebejorum autem, quorum multitudine contra patricios niterentur, utrisque quam plurimum satisfacere conati sunt, ut invidia et odium in civitate gliscens non eruperit. Sed postquam nulli jam reges fuere, quorum interesse necesse fuit, ne certamen inter cives erumperet, et quum liberi quidem sed omni jure publico privati plebeji adeo se negligi noluissent, contentio illa orta est, ex qua tandem perfectissima illa reipublicae Romanae forma evenit. Haec enim mihi gravissima magni illius in sinu reipublicae Romanae exorti et per tam longum temporis spatium gesti certaminis causa fuisse videtur; id quod jam inde a tribunicia potestate constituta clarissime elucet; egestas autem et misera majoris plebejorum partis conditio nihil aliud fuit, nisi species et ratio, qua primi inter plebejos ad finem, quem sibi proposuerant, pervenire studebant.

Regibus igitur exactis patricii maximo in discrimine erant, quum iis altera ex parte Tarquinius immineret, ex altera autem plebs, quae jam tum majora appetebat. Quam ob rem, quum, ut Liv. dicit II, 9 „nec hostes timerent, sed suosmet ipsi cives, ne Romana plebs metu perculsa receptis in urbem regibus vel cum servitute

pacem acciperet", non solum eo modo, quod Publicolam legem de provocatione ferre siverunt[1]), capere conati sunt, et quod secundum Plutarchum[2]) Publicola, secundum Livium II, 1 autem jam Brutus „deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus tectis ad trecentorum numerum explevit — id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis jungendosque patribus plebis animos", sed etiam quod Tarquiniorum bona plebi diripienda dederunt, Liv. II, 5 „ut contacta regia praeda spem in perpetuum cum his pacis amitterent", et, quum magna in urbe esset inopia frumenti, Volscis et Cumis comportandum curarunt. „Salis quoque" dicit Liv. II, 9 „vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum omni sumtu ademtum privatis. Portoriisque et tributo plebes liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent: pauperes satis stipendii pendere, si liberos educarent. Itaque haec indulgentia patrum, asperis postmodum rebus in obsidione ac fame, adeo concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non summi magis, quam infimi horrerent: nec quisquam unus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando universus senatus fuit." Quaecuuque tamen patricii erga plebejos vivente Tarquinio fecerunt, nihil aliud sane fuerunt, nisi blandimenta, qnibus quasi occoecati plebeji minus ipsis periculosi fierent; revera autem levare plebem ejusque justis atque aequis ne dicam postulatis, sed cxspectatio-

[1]) Dion. Hal. V, 19. Liv. II, 8.

[2]) Plut. Public. 11.

nibus consulere minime cogitarunt. Nam non tantum tributa, quae soli fere plebeji tributarii ab iis facti solvebant, sua fecerunt, sed adeo immemores publici commodi erant, ut nec vectigalia ulla ex agris publicis, quorum unici participes erant et possessores, penderent. Quo factum est, ut plebs, cui omnia bellorum onera injungebantur, quum nec praedae fere unquam aliquam partem nanciscerentur, maximam in paupertatem et egestatem dejecta esset[1]). Bella enim, quae Romanis illis temporibus gerenda erant, permulta fuerunt. Majore autem ex parte exercitus Romanus ex plebejis constabat, qui cum parvum tantum agrum colerent, ex quo vectigalia solvere debebant, toties, quoties stipendia merebantur nullos inde reditus caperent, apud patricios aes alienum facere cogebantur. Quum autem foenus ex locupletium libidine agitaretur, factum est, ut aes alienum mox adeo cresceret, ut vel agri debitoris pretium superaret. „Itaque quum jam ex re nihil dari posset, fama et corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant, poenaqua in vicem fidei cesserat[2])." Quod quidem „nexum inire dicit Livius VII, 19 aut „nexum dare" VIII, 28; miseri illi autem, qui inibaut nexum „nexu vincti" aut „nexi". Quorum nexorum conditio non multum differebat a conditione servorum, immo persaepe acerbior etiam erat[3]).

---

[1]) Liv. VI, 34. Mommsen Röm. Gesch. Bch. 2. cap. 2. p. 171 ff.

[2]) Liv. VI, 34.

[3]) Dion. Hal. V, 53. *οὐ γὰρ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς δεσμοὺς τὰ τῶν ὑποχρέων ἀπῆγον σώματα, καὶ*

Omnia ea mala tamen Tarquinio rege superstite minus dura fuere.

Ubi primum autem nuntius de regis morte Romam allatus est, erecti patres, erecta plebs [1]; „sed patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia: plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, injuriae a primoribus fieri coepere.“ Discordia inde inter patricios et plebejos odio flagrantis in dies crescebat, praecipue propter eos, qui ob aes alienum nexi erant [2]. „Fremebant, se, foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a civibus captos et oppressos esse, tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter cives libertatem plebis esse.“ Quae Liv. II, 23 narrat aperte plebis, vel potius reipublicae Romanae, qui tum fuerit status, ostendunt. „Sabino bello, ait (quidam plebejus) se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, aes alienum fecisse: id cumulatum usuris, primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis: postremo velut tabem pervenisse ad corpus. Ductum se ab creditore, non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse.“ Quanto in animi furore mentisque caecitate patricii tum fuerint, jam inde apparet, quod quamquam plebem tantis malis exacerbatam odioque quam maximo flagrantem videbant, periculi sibi imminentis

ὥσπερ ἀργυρωνήτοις οὕτως ἐχρῶντο. VI, 23. 79. 82. Liv. II, 23. 34. VI, 14. 30. 34. 36. VIII, 28.

1) Liv. II, 21. — 2) Liv. II, 23.

ignari erant, nec miseram plebis conditionem levandam curabant, imprimis, quum plebeji nullum in eos impetum susciperent. Nam implorant solum Quiritium fidem (nexi) ostentant consulibus vincula sua et deformitatem aliam, postulant, ut senatum vocent. Tum demum, quum ob infrequentiam senatus nihil agi potuit, plebs, putans se eludi atque extrahi et „patrum, qui abessent, non casu non metu, sed impediendae rei causa abesse et consules ipsos tergiversari, nec dubie ludibrio esse miserias suas, jam prope fuit, ut ne consulum quidem majestas coërceret iras hominum." Quum autem eodem anno bellum Volscum immineret, plebeji patricios coacturi, ne se plane negligerent nomina non dare constituerunt. „Patres militarent, patres arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos praemia essent[1])." Tum demum senatus ambiguo circumdatus periculo plebi blandiri constituit, et per consulem Servilium edicit: „Ne quis civem Romanum vinctum aut clausum teneret, quominus ei nominis edendi apud consules potestas fieret. Ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet; liberos nepotesve ejus moraretur." Quo facto plebs undique se proripuit et nomina dedit. Nihilominus tamen bello feliciter finito intra paucos dies cum Volscis, Sabinis et Auruncis, quum exercitus Romanus victor Romam reversus senatus et consulis fidem expectaret, plebis conditio melior facta est; immo Appius consul jus de creditis pecuniis quam asperrime dixit. Qua re plebeji, licet

[1]) Liv. II, 24.

aegre tulerint talem patriciorum perfidiam, edocti sunt, nullam consuli et curiae fidem dandam esse consulemque, uti Mommsenius[1]) dicit, — collegam habere non uti populus defenderetur, sed quo facilius fides ab altero data non solveretur, — ut eo modo infestius, crudelius majoreque cum injustitia, aequitatis tamen specie, imperari posset. Quum igitur viderent nullum sibi a senatu et consulibus levamentum expectandum esse, aliis jam viis progredi et ad certum qaendam finem pervenire constituerunt. Inde ab eo tempore apparet, egestatem et miseram illam magnae plebejorum partis conditionem nihil aliud fuisse, nisi praetextum, quo primi inter plebejos usi, majora concupiscere et altiora petere conabantur. Quae enim inde accidunt, non forte et temere, sed secundum consilium quoddam jam ante conceptum excogitatumque fiunt[2]). Imprudentia igitur et nimia patriciorum crudelitate factum est, ut plebs, quae primum sine ullo consilio nihil, nisi miseriae ex aere alieno ortae levamen tum petebat, postea tandem in *concionis* modum, habitis antea coetibus, consulibus delectum habentibus se opponeret et *libertatem*

[1]) Römische Geschichte Bch. 2. cap. 2. p. 174. »Es schien, als sei die Collegialität nicht zum Schutz des Volkes eingeführt, sondern zur Erleichterung des Treubruches und der Despotie.«

[2]) Liv. II, 28. coetus nocturnos, pars Esquiliis, pars in Aventino, facere; ne in foro subitia trepidaret, consiliis, et omnia temere ac fortuito ageret — eum ad nomen nemo responderet circumfusa multitudo in concionis modum negare ultra decipi plebem posse. Nunquam unum militem habituros ni praestaretur fides publica, libertatem unicuique prius reddendam esse, quam arma danda, ut pro patria civibusque, non pro dominis pugnarent.

postularet. Quo in discrimine, cum consulibus nemo obtemperaret neque multum abesset, quin plebis seditio aperta fieret, senatus dictatorem creavit M.' Valerium, qui postquam edictum proposuit[1] „Servilii fere consulis edicto conveniens" plebs „et homini et potestati melius-rata-credi omisso certamine nomine dedere." Bellis feliciter gestis senatus tantum tamen abfuit, ut plebi fidem persolveret, ut vili modo non solum plebem sed ipsum etiam dictatorem frustrari conaretur; sed a plebe toties decepta ipse deceptus est. Plebs enim armis nondum depositis quum per causam renovati belli ex urbe educta esset, injussu consulum, Sicinio quodam auctore in montem sacrum secessit, qua re patricios coëgit, ut sinerent plebem suos magistratus sacrosanctos habere[2]), „quibus auxilii latio adversus consules esset (261 u. c.)." Qui magistratus tribuni plebis sunt vocati.

DE TRIBUNORUM PLEBIS NUMERO.

De tribunorum numero nulla sunt certa indicia. Sunt, qui putent, tribunos initio duos creatos fuisse, eosque tres statim cooptasse, in quibus Livius[3]), Dion. Hal.[4])

[1]) Liv. II, 30. — [2]) Liv. II, 33.

[3]) Liv. II, 33, tribuni plebis creati duo C. Licinius et L. Albinus, hi tres collegas sibi creaverunt, in his Sicinium fuisse seditionis auctorem, de duobus, qui fuerint minus constat.

[4]) Dion. Hal. VI, 89. *ἄρχοντας ἐνιαυσιαίους ἀποδεικνύουσι τοὺς περὶ Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον, καὶ Γάϊον Σικίννιον Βελλοῦτον, οὓς*

Ascon ad Cic. p. Corn.[1]) Zonaras[2]); contra alii, inter quos Piso apud Livium[3]), Joann. Lydus[4]) usque ad legem Publiliam latam duos tantum creatos esse contendunt. Quae Ciceronis[5]) quoque sententia est, ita tamen ut jam posteriore anno decem tribunos creatos esse putet; tres tribunos memorant Pomponius et Ausonius.

Nihil certi igitur ea de re dici potest. Quum tamen omnibus in rebus perscrutandis plurimum juvet, rationes,

καὶ τέως εἶχον ἡγεμόνας· καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Γάϊον καὶ Πόπλιον Λικιννίους καὶ Γάϊον Ἰουσίλλιον Ῥιουγανόν. οὗτοι τὴν δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον.

[1]) Ascon. ad Cic. p. Corn. Ceterum quidam non duo tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero ponant, inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus Liviusque noster. Idem hic et Tuditanus adjiciunt tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse.

[2]) Zon. VII, 15. καὶ προστάτας αὐτίκα ἐξ ἑαυτῶν δύο προεχειρίσαντο, εἶτα καὶ πλείους ἵν' εἶεν αὐτοῖς κατὰ συμμορίαν βοηθοί τε καὶ τιμωροί.

[3]) Liv. II, 58. Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt (283 u. c.) numero etiam addito tres perinde ac duo ante fuerint, Piso auctor est.

[4]) Joan. Lydus de magg. I, 38. τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει τῶν ὑπάτων, στάσεως γενομένης — δύο τὸ πλῆθος προεχειρίσατο δημάρχους.

[5]) Cic. de rep. I, 1. duobus tribunis per secessionem creatis. Cic. p. Cor. p. 450 Or. Tanta igitur in illis virtus fuit ut anno XVI post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur in quo armati considerant, aeternae memoriae causa consecrarent. — 451. Itaque auspicato postero anno X tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt.

quibus vulgo fieri soleant investigare, uti ad quandam certe veritatis speciem perveniamus, errare mihi non videor totius ejus causae hunc progressum fuisse putans: postquam plebs secessit et in castris consedit licet ex consilio jam antea capto et percogitato secesserit, tamen non dubito, quin cognitum habuerit, quidnam factura esset. Incerta talis et ambigua rerum conditio per aliquod tempus duraverit necesse est, quum secundum Livium II, 34 „caritas primum annonae ex incultis per secessionem plebis agris" orta sit. Patricii autem, plebeji, quorum magna sane pars in urbe remansit, liberi, uxores, parentes eorum, qui secesserunt, quos fortasse patricii prohibere conati sunt, quominus etiam relinquerent urbem et in seditionis castra transirent, timore et ambigua rerum conditione perculsi et agitati nihil judicio meo neglexerunt, quominus sollicitos et perturbatos egressorum animos mitigarent causamque componerent; ita ut secedentes ambigui nihil magis spectasse mihi videntur, quam quomodo causa quam celerrime tolleretur. Neque dubito, quin et in castris ipsis factio orta sit, quam consilii sui poenituerit. Quo factum est, ut Sicinius, et qui praeter eum secessionis auctores fuere, minore in dies uterentur auctoritate licet non apud totam plebem, sane tamen apud magnam ejus partem. Interim senatus legatos in castra misit plebique, ut tribuni crearentur, concessit. Qua ratione primi illi tribuni creati fuerint, parum constat; sed dubito, quin Sicinius ejusque similes seditionis auctores in primis tribunis fuerint. Factio enim

cui violentum et atrox Sicinii ingenium notum fuit, metuens, ne tribunus creatus vehementius se gerens prohiberet, quominus controversia componeretur et exoptata pax tandem confirmaretur, certo viros minus violentos et atroces sibi elegit; ob eamque rem, quos Livius dicit duos primos plebis tribunos creatos puto, Dionysii autem verbis, quippe qui totam rem quam accuratissime narret, ut ne hic quidem ignoret, qui in concione plebis coram legatis a senatu missis verba fecerit, fidem dandam non esse, cum secessionis auctores L. Junium Brutum et C. Sicinium Bellutum primos tribunos creatos fuisse dicit. Mirum sane videri potest, quomodo Sicinius tribunus creatus non fuerit; quod tamen minus mirum videbitur, si ejus vehementiam rerumque discrimen consideramus. Quum igitur Sicinius tribunus plebis creatus non esset, eaque re periculum aliqua quidem ex parte remotum, incertum tamen esset, num vir ille, cujus tanta apud plebem auctoritas esset, etiam alio modo rempublicam non agitaret, si tribuni creati minus apte agere ei viderentur, praesertim quum magna sane plebis pars Sicinio favens eum fortasse patronum exoptasset, persuasum, puto, tribunos habuisse, Sicinium ejusque amicos suas in partes trahendos esse. Tanta enim seditione composita, quis est, qui nesciat, quanto labore et studio opus sit ad mitigandos omnium animos? Mox igitur tribuni cognoverunt ingenti et perdifficili muneri suscepto pares se non esse; ob eamque rem non modo, ut laborem minuerent, sed etiam ut alteri plebis parti satisfacerent, collegas sibi

assumserunt. Sed tantum abest, ut quos dico tribunorum collegas tribunos fuisse cooptatos putem, ut contendam tribunis jus et potestatem tribunos creandi non fuisse. Duilia enim lege[1]) demum jus cooptationis tribunis datum est, qua lege opus non erat, si eo jure jam antea uterentur. Siquidem narrationem illam de tribunis cooptatis pro vera et certa haberemus, nonne concedendum etiam esset tribunis jus creandi fuisse, quot vellent tribunos, ideoque mirandum, cur plebeji adeo vehementer et diu pugnassent cum patriciis, quum decem tribunos creari sibi licere voluissent[2])? Propterea cooptatos quos putant tribunos, collegas tantum sive potius adjutores tribunorum fuisse contendo. Quum autem Sicinius vir maxime strenuus et fortis totique plebi quum notissimus tum gratissimus, tribunus creatus non esset et tribunorum multum sane referret, ut eo ad quietem restituendam discordiamque componendam uterentur, adjutorem eum sibi cum aliis duobus creaverunt. Postquam autem cognitum est rationem per primos tribunos adhibitam multum profuisse et duos tribunos officio sibi illato satisfacere non posse, quum posteriore anno tribuni crearentur jam quinque tribunos creatos puto, eumque numerum usque ad legem

---

1) Liv. III, 64.

2) Etiam Livius ubicunque de cooptatis tribunis loquitur nullam aliam adhibet vocem nisi eam, quae est *cooptare*, qui in creandis primis tribunis *creare* voce usus est. Quum enim *cooptare* et *creare* tantum inter se discrepent, non credo Livium et Ciceronem adeo negligenter scribere potuisse.

Terentiliam perlatam, observatum. Quae igitur Cicero pro Cornel. dicit: „Itaque auspicato postero anno X tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt“ vera esse possunt, numerus tantum fortasse falso legitur. Inde a lege Terentilia lata (297 u. c.) usque ad interitum reipublicae Romanae decem tribuni creabantur[1]).

DE RATIONE TRIBUNORUM CREANDORUM.

Mirum in modum fere omnia, quae ad tribunos plebis ex primis tribunatus temporibus pertinent adeo sunt confusa et perversa tantaque obscuritate obducta, ut vera a fictis vix discernas. Siquidem de numero tribunorum narrationes ob eamque rem etiam opiniones diversissimae sunt, sane de ratione eligendorum tribunorum non minor est dubitatio et ambiguitas.

Primi tribuni in secessione creati sunt in monte sacro. Quaeritur, a quibus creati sint? A plebe. Sane, in monte sacro enim praeter plebem vix quispiam fuit; sed postea, utrum a comitiis curiatis, an centuriatis, an ex Beckeri sententia comitiis calatis creati sunt?

Quae apud Livium[2]) legimus parum lucis nobis ad-

[1]) Liv. III, 30. Dion. H. X, 30. Zonar. VII, 17. Cic. de legg. III, 3. 10.

[2]) Liv. II, 33. Ita tribuni plebis creati sunt.

ferunt. Dionysius Hal.[1]) autem et Cicero[2]) tribunos plebis usque ad legem Publiliam latam (283 u. c.) comitiis curiatis creatos esse narrant. Eam etiam auctoritatem inter alios secuti sunt Beaufortius[3]), C. D. Hüllmannus[4]), Huschkius[5]), Broeckerus[6]). Niebuhrius[7]) autem putat creationem cum probatione, quae tribunis a comitiis dari solita sit, igitur cum lege curiata, permutatam, creatos autem eos fuisse in comitiis centuriatis. Creuzerus[8]) sequitur ejus opinionem. Goettlingius autem putat tribunos successores suos designasse. Niebuhri et Goettlingi opiniones Beckerus jam refellit, nec habeo quod addam; sed quum ne Beckeri quidem sententia, tribunos comitiis calatis creatos fuisse probanda mihi videatur, refelli eam necesse est. Conjectura ea enim parum idoneis argumentis firmata est; nititur verbis Livii III, 54 quae ubi plebs post decemviralem potestatem secessit,

---

[1]) Dion. Hal. VI, 89. *νεμηθεὶς δ' ὁ δῆμος εἰς τὰς τότε οὔσας φρατρίας ἢ ὅπως βούλεταί τις αὐτὰς προςαγορεύειν ἃς ἐκεῖνοι καλοῦσι κουρίας ἄρχοντας ἐπαυσιαίους ἀποδεικνύουσι.* IX, 41. *νόμον εἰςφέρει (ὁ Πόπλιος) περὶ τῶν δημαρχικῶν ἀρχαιρεσίων, μετάγων αὐτὰ ἐκ τῆς φρατριακῆς ψηφηφορίας οἱ Ῥωμαῖοι κουριάτην καλοῦσιν ἐπὶ τὴν φυλετικήν.*

[2]) Cic. p. Corn. Itaque auspicato postero anno decem tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt.

[3]) Beaufort: la république romaine III, 7. (Les tribuns du peuple).

[4]) Römische Grundverfassung p. 185 sqq.

[5]) Huschke: Servius Tullius p. 400.

[6]) Broecker: Vorbereitungen zur röm. Geschichte p. 21 sqq.

[7]) Niebuhr: Röm. Gesch. I. p. 648.

[8]) Creuzer: Abrifs der röm. Antiquitäten p. 209 sqq.

legati pro concione dicunt: „tribunos plebis creabitis praesto erit pontifex maximus, qui comitia habeat", et paulo post „pontifice maximo comitia habente tribunos plebis creaverunt". Cum autem comitia, quae pontifici maximo habere licuerit, nulla alia essent, nisi calata, tribunos plebis igitur comitiis calatis creatos fuisse. Cicero p. Cornel. Or. p. 451 ita rem narrat: „tum interposita fide per tres legatos, amplissimos viros, Romam ornati revertuntur. In Aventino consederunt; inde armati in Capitolium venerunt, decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt". Licet probemus re vera pontifici maximo nulla alia comitia nisi calata habere licuisse, et quae apud Gellium V, 19 leguntur „comitia, quae curiata appellantur arbitris pontificibus praebentur" negligi posse, tamen, si meminerimus, Beckerum conjecturam suam ex illius temporis conditione fecisse, quo post decemvirorum dominationem in republica Romana omnia, nullis magistratibus paene perversa, secessione plebis magis etiam consternata erant, sane non mirabimur, cur senatus timore perculsus, quo citius et facilius irritata plebs mitigaretur et reduceretur, pontifici maximo, penes quem nimirum unum auctoritas fuerat, mandaverit, comitia creandis tribunis haberet. Quin etiam, ea quae Beckerus opinionis suae firmandae causa adjicit, pontifice maximo opus fuisse, qui sacramenta tribunorum renovaret potestatemque eorum et leges sacratas restitueret, quae Dion. Hal. X, 22. 57 probat, persuadere nobis possunt, comitia illa, quod a pontifice habita, ne-

cessario calata non fuisse, sed, quum ad restituendas leges sacratas pontifice maximo opus, nec ullus (alius) in republica esset magistratus ad comitia habenda, senatum ex rerum conditione utrumque munus uni pontifici maximo tradere facile potuisse.

Nec Gellii verba, quae supra scripsi negligenda mihi videntur. Ex quo enim comitiorum curiatorum auctoritas minuta est, atque omnia, quae olim in iis acta erant ad comitia centuriata translata sunt, comitiis autem curiatis nihil relictum est, nisi quod ad religionem pertineret, non dubito, quin vulgo pontifex maximus ea habuerit, magistratus autem solum tum, quum legem curiatam ferret. Ceterum, si consideraverimus, Beckerum eo niti, quod a. Ur. trecentesimo quinto diu igitur post legem Publiliam latam, ex qua tribuni comitiis tributis creabantur, factum est, dubito num inde, quod illo tempore pontifex maximus comitia tribunis creandis habuerit, contendere possimus, tribunos usque ad legem Publiliam comitiis calatis creatos fuisse. Denique etiam, populum in comitiis calatis tacuisse, et pontificem tantum populo convocato, quae opus erant, pronuntiasse constat. Quae cum ita sint, nec quomodo creari potuerint tribuni, nec quomodo patricii praevaluerint plebejis ita, ut omnem creandi quem vellent potestatem per clientium suffragia haberent, mihi satis patet.

Quum nulla nobis auctoritas sufficiat in qua nixi non ambigue dicere queamus, quibusnam comitiis tribuni plebis ab anno Ur. c. 261 usque ad legem Publiliam latam anno

283 creati fuerint, nulla alia ratione nisi comitiorum natura tum curiatorum, tum centuriatorum perscrutata et cognita certi quidquam dicere posse mihi videor. Tribuni plebis patroni plebis esse debebant, a plebe igitur et ex plebe creandi erant. Initio tamen, quum ex plebe quidem, tamen non a plebe sed a toto populo Romano crearentur, nunquam tamen officiorum sibi impositorum obliviscerentur, immo maxima cum fortitudine et atrocitate contra patricios dimicarent, quum igitur eam ob causam magis sane plebi quam patriciis placerent, minime dubitandum est, quin in iis comitiis creati fuerint, quibus plebis auctoritas major patriciorum auctoritate gratos sibi ex voluntate tribunos creaverit. Quaenam erant igitur comitia illa, in quibus plebeji auctoritate tanta fruebantur? Quod ut discerni queat pauca primum de comitiis curiatis dicamus.

Quae apud Festum[1]) leguntur, imprimis autem Dionysii Hal.[2]) verba, quibus dicit totum populum Romanum

[1]) Festus Curia: Curiae etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi quid geritur; quales sunt eae, in quas Romulus populum distribuit.

[2]) Dion. Hal. II, 7. *ὡς δὲ διεκρίθησάν τε ἅπαντες καὶ συνετάχθησαν εἰς φυλὰς καὶ φράτρας.* IV, 20. *τοῦτον δὲ τὸν τρόπον ἅπαν ἐπιθεὶς τὸ βάρος τοῖς πλουσίοις τῶν τε κινδύνων καὶ τῶν ἀναλωμάτων, ὡς εἶδεν ἀγανακτοῦντας αὐτοὺς, δι' ἑτέρου τρόπου τήν τε ἀθυμίαν αὐτῶν παρεμυθήσατο, καὶ τὴν ὀργὴν ἐπράϋνε, πλεονέκτημα δωρησάμενος ἐξ οὗ πάσης ἔμελλον τῆς πολιτείας ἔσεσθαι κύριοι, τοὺς πένητας ἀπελάσαντες ἀπὸ τῶν κοινῶν. καὶ τοῦτο διαπραξάμενος ἔλαθε τοὺς δημοτικούς. ἦν δὲ τὸ πλεονέκτημα περὶ τὰς ἐκκλησίας, ἐν αἷς τὰ μέγιστα ἐπεκυροῦντο ὑπὸ τοῦ δήμου· εἴρηται δέ μοι καὶ*

in comitiis curiatis non solum de reipublicae causis constituisse saepe contra patriciorum consilium et voluntatem[1]), sed etiam regem sibi gratum Servium Tullium regnare jussisse[2]), neque minus quae apud Livium[3]),

---

πρότερον ὅτι τριῶν πραγμάτων ὁ δῆμος ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων κύριος ἦν, τῶν μεγίστων τε καὶ ἀναγκαιοτάτων, ἀρχὰς ἀποδεῖξαι τάς τε κατὰ πόλιν καὶ τὰς ἐπὶ στρατοπέδου, καὶ νόμους τοὺς μὲν ἐπικυρῶσαι, τοὺς δὲ ἀνελεῖν, καὶ περὶ πολέμου συνισταμένου τε καὶ καταλυομένου διαγνῶναι. τὴν δὲ περὶ τούτων διάσκεψιν καὶ κρίσιν ἐποιεῖτο κατὰ τὰς φράτρας ψηφηφορῶν. καὶ ἦσαν οἱ τὰ ἐλάχιστα κεκτημένοι τοῖς τὰς μεγίστας ἔχουσιν οὐσίας ἰσόψηφοι· ὀλίγων δὲ ὄντων, ὥσπερ εἰκὸς, τῶν πλουσίων, οἱ πένητες ἐν ταῖς ψηφηφορίαις ἐπεκράτουν, μακρῷ πλείους ὄντες ἐκείνων. τοῦτο συνιδὼν ὁ Τύλλιος ἐπὶ τοὺς πλουσίους μετέθηκε τὸ τῶν ψήφων κράτος. II, 14. *ἔφερε δὲ τὴν ψῆφον οὐχ ἅμα πᾶς ὁ δῆμος ἀλλὰ κατὰ τὰς φράτρας συγκαλούμενος· ὅ τι δὲ ταῖς πλείοσι δόξειε φράτραις, τοῦτο ἐπὶ τὴν βουλὴν ἀνεφέρετο.*

[1]) D. H. IV, 12. *Τοῦτο καταμαθὼν ὁ Τύλλιος οὐκ ἔτι παρῆκε τὸν καιρὸν, ἀλλὰ πολλὰς αὐτοῖς εἰδέναι φήσας χάριτας, ὅτι μέμνηνται τῶν εὐεργεσιῶν, καὶ ἔτι πλείονα ὑποσχόμενος ἀγαθὰ ποιήσειν, ἐὰν αὐτὸν ἀποδείξωσι βασιλέα, προεῖπεν ἡμέραν ἀρχαιρεσιῶν, εἰς ἣν ἐκέλευσε καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἅπαντας παρεῖναι. Συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου καλῶν τὰς φράτρας ἀνεδίδου κατὰ μίαν τὰς ψήφους. ἁπάσαις δὲ ταῖς φράτραις κριθεὶς τῆς βασιλείας ἄξιος, πολλὰ χαίρειν τῇ βουλῇ φράσας, ἣ οὐκ ἠξίωσεν ἐπικυρῶσαι τὰ τοῦ δημοτικοῦ πλήθους, ὥσπερ αὐτῇ ποιεῖν ἔθος ἦν, κατέσχε τὴν ἀρχήν.*

[2]) D. H. IV, 13.

[3]) Liv. I, 13. Itaque, quum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit. I, 17. Fremere deinde plebs, multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos: nec ultra nisi regem et ab ipsis creatum videbantur passuri. Cum sensissent eo moveri patres; offerendum ultro rati, quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, ut non plus darent juris, quam detinerent; decreverunt enim, ut, quum populus

eaque a Dionysii sententia minime abhorrentia legimus, ostendere mihi videntur, plebem totius populi Romani partem jam regum temporibus in comitiis curiatis suffragia tulisse. Huc accedunt etiam complures loci, unde clare et evidenter colligimus, populos devictos et in Urbem transductos a regibus in curias receptos fuisse[1]).

Reipublicae temporibus comitia curiata aliam quasi formam habebant. Fere enim omnia, quae adhuc in iis

---

regem jussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. — Tum interrex concione advocata, quod bonum, faustum felixque sit, inquit, Quirites, regem create; ita patribus visum est. Patres deinde, si dignum, qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient. Adeo id gratum plebi fuit, ut ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent juberentque, ut senatus decerneret, qui Romae regnaret. I, 35. Tarquinius instare, ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis — orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos — haec eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romanus regnare jussit. I, 42. etc.

[1]) D. H. II, 35. *οὓς εὐθὺς (Ἀντεμνάτας καὶ Καινίτας) εἰς φύλας καὶ φράτρας ὁ βασιλεὺς κατέγραφε.* II, 50. *οὓς ταῖς φράτραις ἐπεμέρισαν καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἀποικίαν Ῥωμαίων ἐποίησαν.* III, 29. *καὶ τὸ μὲν ἄλλο πλῆθος ὑμῶν μετὰ τῶν παρ' ἡμῖν δημοτικῶν συντελεῖν εἰς φυλὰς καὶ φράτρας καταμερισθέν.* III, 48. *καὶ καταχωρίσαντος ἅμα τοῖς συμπαροῦσιν αὐτῷ Τυῤῥηνῶν εἰς φυλήν τε καὶ φρατρίαν.* II, 46. II, 55. — Liv. I, 30. Roma interim crescit Albae ruinis. Duplicatur civium numerus — principes Albanorum in patres, ut ea quoque pars reipublicae cresceret, legit Tullius etc. — curiam fecit. I, 33. Ancus — Pelitorium urbem Latinorum, vi cepit; senatusque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant hostibus in civitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. — additi eodem haud ita multo post Tellenis Ficanaque captis. — multis millibus Latinorum in civitatem acceptis. I, 10. 11. Cic. Rep. II, 18. §. 33. II, 7. §. 13. Zonar. VII, 7. Plut. Rom. 24.

agebantur per comitia centuriata absolvebantur, multa tamen etiam officia et munera penes comitia curiata remanserunt. Quae ad publica pertinebant omnia fere agebantur comitiis centuriatis; quae autem ad cultum deorum, ad res divinas et sacras, ad nova et insolita, ad privata, gentilicia spectabant, penes comitia curiata erant. Prae ceteris autem omnes in comitiis centuriatis creati consules et praetores jus auspiciorum, sive, quod fere idem est imperium a comitiis curiatis petere solebant. Sed et tum etiam, quamquam plebs comitia centuriata habebat, in quibus voluntatem suam suffragiis latis dicere potuit, curiatis comitiis exclusa non est, si fides est danda Dionysio Hal. qui narrat, populum Romanum comitiis curiatis de Tarquiniorum bonis sententiam tulisse[1]). Quin etiam vel Camillus de exilio in patriam a comitiis curiatis revocatus est[2]). —

Plures quidem opinionis meae adversarios esse, minime me latet; tamen tantum abest, ut eorum sententiam, quorum auctoritas licet permagna sit, probem, ut multa contra eos proferre possim, nisi ea re speciminis mei fines longe egressurus essem. Quae in adnotationibus attuli sufficere mihi videntur, quibus argumentis maxime

[1]) D. H. V, 6. *ἀναλαβοῦσαι ψῆφον αἱ φράτραι τριάκοντα οὖσαι τὸν ἀριθμὸν, οὕτω μικρὰν ἐποιήσαντο τὴν ἐπὶ θάτερα ῥοπὴν, ὥστε μιᾷ ψήφῳ πλείους γενέσθαι τῶν κατέχειν τὰ χρήματα βουλευομένων τὰς ἀποδιδόναι κελευούσας.*

[2]) Liv. V, 46. Accepto inde senatus decreto, ut et, comitiis curiatis revocatus de exilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem, quem vellent.

adjutus consilium illud ceperim. De comitiis centuriatis rem quam brevissimis absolvere studebo. Toti enim populo jus suffragiorum in iis fuisse neminem latet. Mea hic maxime interest, ut dijudicem utrum plebis potestas ex suffragiis ferendis in comitiis curiatis, an in centuriatis major fuerit. Qua in re ratio suffragiorum ferendorum maximi est momenti. Comitiis curiatis jam regum temporibus plebem interdum victoriam de patriciis reportasse supra jam demonstravi ex Dion. H. IV, 12 et Liv. I, 17. I, 35 etc. Servius Tullius quum vidisset, victoria, quam in comitiis curiatis plebis auxilio reportaverat, animos patriciorum irritatos in se esse, imperiumque suum firmum atque certum esse non posse cognovisset, nisi voluntate et studio erga se quum patriciorum tum plebejorum, patriciorumque potestatem majorem magis profuturam, quam plebejorum; nova, quam dedit reipublicae forma et institutione patriciorum favorem eo modo fore, ut sibi pararet, mea opinione speravit, ut suffragiis in comitiis centuriatis ferendis praevalerent. Plebem autem civitate donatam, etsi eo modo nulla vera commoda ei parasset officia autem et numera in rempublicam auxisset, specie tamen majoris auctoritatis et potestatis amicam sibi et fautricem reddere conatus est. Eam quidem in Servio Tullio, quum reipublicae Romanae novam dederit formam, praevaluisse credo sententiam; quod etiam Dion. Hal. IV, 20 luculenter demonstrasse, apparet. Eo consilio totum populum Romanum in classes easque in centurias divisit. Qua in re divitias praevaluisse neminem latet.

Totus enim populus Romanus secundum Dion. Hal.[1]) in quinque classes atque in centum nonaginta tres centurias divisus est. Quum autem prima classis eos amplecteretur, quorum census maximus erat atque ex duodeviginti centuriis equitum et octoginta centuriis peditum constaret, ceterae autem quatuor classes jam minore censu omnes tantum nonaginta quinque centurias haberent, et quum primae classis centuriae, quae ex ditissimis ideoque patriciis constabant in suffragiis ferendis primum locum tenerent, centuria autem classis secundae et deinceps tertiae, tum quartae denique quintae tum demum ad suffragia mitterentur, ubi prima classis inter se non consensit, si autem, quod vulgo fiebat, consensit, finis suffragiis constitueretur, nec centuriae reliquae nonaginta quinque ad suffragia ferenda vocarentur, nihil sane opus erat patriciis, quam ut classis prima consentiret, ut eo modo ipsi in republica summa potestate fruerentur, reliqua autem eaque longe major populi pars jus quidem suffragandi, sed nullum inde commodum haberet[2]).

Quum igitur comitia curiata non minus, quam centuriata ex patriciis et plebejis, toto igitur populo constarent, et cum ex ratione suffragii ferendi plebis auctoritatem in comitiis curiatis majorem fuisse conjici liceat, contendere audeo, tribunos plebis usque ad legem Publiliam latam comitiis curiatis creatos fuisse. Quam sententiam meam

---

[1]) D. H. VII, 59.

[2]) App. bell. civ. III, 54.

ut adjuvem atque pluribus etiam argumentis fulciam, pauca adjicio.

Tribunos plebis comitiis centuriatis creatos fuisse, nullum habemus auctorem, quum quaecumque apud praestantissimos, qui de ea re scripserunt leguntur, curiatis comitiis creatos eos fuisse nos doceant. Quae Liv. II, 56 narrat „rogationem tulit ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur; sed quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent, tribunos afferet“ — ad comitia centuriata spectare non posse, nemo sane negabit, in quibus penes patricios omnis potestas fuit. Eadem dicit Dion. H. IX, 41 „νόμον εἰςφέρει περὶ τῶν δημαρχικῶν ἀρχαιρεσίων, μετάγων αὐτὰ ἐκ τῆς φρατριακῆς ψηφοφορίας, ἣν οἱ Ῥωμαῖοι κουριάτην καλοῦσιν, ἐπὶ τὴν φυλετικήν et aliis etiam locis[1]); nec minus Cicero[2]) locis jam supra citatis et alii. Sed ut largiamur, omnia, quae apud illos praestantissimos scriptores leguntur aut ficta aut corrupta esse, nescio, qui fieri potuerit, ut, quum omnes alii magistratus, imprimis autem consules, comitiis centuriatis creati, vulgo infestissimo adversus plebem animo fuerint, tribuni plebis in iisdem creati comitiis tantopere a consulum animo discrepaverint, ut quum consules per totum illud tempus (usque ad legem Publiliam) maximos sese plebis inimicos praebuerint, seque atrocissime contra eam gesserint, tribuni plebis non minore cum vehementia plebis

[1]) Dion. Hal. X, 4. VI, 89. — [2]) Cic. p. Cornel.

defensores exstiterint. Dubium sane est, num patricii, quum in centuriatis comitiis propter suffragandi modum penes eos tota paene potestas et vis esset, tribunos Sicinium, Icilium, Genucium, Voleronem alios creari siverint. Nonne ea res, quod, dum Romae tribuni militum pro consulibus summo magistratu funguntur, quamquam auctoritas et potestas plebis jam multo major erat, quam primis tribunatus temporibus, quum vel ex plebe jam tribunos militum consulari potestate fieri liceret[1]), plebeji ex ordine suo magistratus summos non haberent, nisi complures annos post quam magistratus ille constitutus est, nec sine certaminibus maximo cum studio et perseverantia commissis, satis nobis persuadere posset, patriciorum in comitiis centuriatis potestatem maximam fuisse[2])? Quum autem persuasum habeam, tribunos militares comitiis centuriatis creatos fuisse, quod satis apparet ex Livio[3]) et quum vel etiam post, quam plebi contigit, ut unum tri-

[1]) Liv. IV, 6. ut tribunos militum consulari potestate promiscue ex patribus et plebejis creari sinerent.

[2]) Tribunorum militum magistratus ortus est secundum Liv. IV, 7. »anno trecentesimo decimo quam urbs Roma condita erat« et anno Ur. trecentesimo quinquagesimo quinto Liv. V, 12 »inter has iras plebis in patres, quum tribuni plebis nunc illud tempus esse dicerent stabiliendae libertatis, et ab Sergiis Virginiisque ad plebejos viros fortes ac strenuos transferendi summi honoris; non tamen ultra processum est, quam ut unus ex plebe, usurpandi juris causa P. Lic. Calvus tribunus militum consulari potestate crearetur: ceteri patricii creati. — Ipsa plebes mirabatur, se tantam rem obtinuisse.

[3]) Liv. V, 13. V, 52.

bunum plebejum consulari potestate haberet, usque ad extremum tribuniciae potestatis annum (388 U. c.) raro plebeji potestatem eam simul cum patriciis occuparent, nec id nisi maxima cum intentione, non dubito contendere, fieri non potuisse, ut tribuni plebis, quorum atrocitatem in patricios, studium autem erga plebejos maximum fuisse constat, in comitiis centuriatis, in quibus penes patricios perficiendi quidquid volebant, potestas fuit, creati fuerint.

Omnibus igitur, quae ad quaestionem eam pertinent, quam diligentissime percogitatis et perscrutatis, minime errare mihi videor contendens, tribunos plebis comitiis curiatis creatos fuisse. Inde ab anno ducentesimo octogesimo tertio, lege Publilia perlata, tribuni plebis in comitiis tributis creabantur. Sunt, qui legem eam fictam et tribunos inde ab initio tributis comitiis creatos putent; argumenta tamen eorum non ita sunt comparata, ut eis adsentiri possim.

Ex compluribus locis Livianis[1]) apparet tribunos creatos interdum collegas sibi cooptasse. Quod tamen quum suum in commodum patricii verterent ita, ut tribuni plebis

[1]) Liv. III, 64. Forte quadam utili ad tempus, ut comitiia praeesset, potissimum Duilio sorte evenit — satisfactum legi ajebat, quae numero nusquam praefinito tribunis, modo ut relinquerentur sanciret; et ab iis, qui creati essent, cooptari collegas juberet. Recitabatque rogationis carmen in quo, si tribunos plebei decem rogabo, si qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis: hi tum uti, quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.

vel patricios consularesque cooptarent[1]), Trebonius rogationem tulit Liv. III, 65 „ut, qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque rogaret, dum decem tribunos plebis faceret". Ratio autem tribunorum cooptatione creandorum nec diu valuisse, nec ante decemviralem potestatem adhibita fuisse mihi videtur, quia re ita se habente lege Duilia „ut illi (cooptati) eadem lege tribuni plebis sint, ut illi, quos hodie tribunos plebis feceritis" minime opus fuisset. — Quum primi tribuni plebis ante diem IV Idus Dec. Liv. XXXIX, 52 creati essent, eodem die et post tribuni magistratum semper inibant, paulo ante id tempus comitiis habitis. Eodem etiam die tribuni magistratu abibant et lege Duilia[2]) cautum est (306), ne plebs sine tribunis relinqueretur; id quod antea interdum accidisse videtur. Tribunos plebis magistratum ingressos sacra solemnia pro salute habuisse Dion. Hal. nos docet[3]).

Nomen ipsum et natura tribunatus ostendunt, tribunos ex plebe esse necesse fuisse; quod et lege cautum est. Livius enim IV, 25, ubi querelas narrat plebis principum, quod nullus unquam plebejus tribunus militum consulari potestate creatus sit, dicit „multum providisse suos ma-

[1]) Liv. III, 65.

[2]) Liv. III, 55. M. Duilius plebem rogavit, plebsque scivit: qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur. — Cic. de legg. III, 3. neve plebem orbam tribuni relinquunto.

[3]) D. H. X, 48. *θύσας σωτήρια κατὰ νόμον.*

jores, qui caverint, ne cui patricio plebeji magistratus paterent". Idem et Paulus Diaconus[1]) et Zonaras[2]) tradiderunt. Cicero[3]) autem putat jus illud plebejorum lege sacrata niti. Nihilominus tamen patricios dolo magistratu illo interdum functos esse ex Livii verbis apparet III, 65. Quum autem tribunicia potestas magis magisque cresceret, et quae initio a patriciis despiciebatur mox appeteretur, aut quum patriciis adeo infesta esset, ut multum sane eorum referret, eam minui aut debilitari, factum est posteriore tempore, ut patricii ad plebem per adoptionem transirent, quo magistratum tribunitium appetere possent.

Ne tamen tribuni plebis affinitate, neve pietate erga parentes, qui fieri potuit, ut curulem aliquem magistratum haberent, prohiberentur, quominus officio tribuniciae potestatis satisfacerent, lege cautum est, ne quemquam tribunum plebis fieri liceret patre curuli numere fungente aut functo adhuc vivo[4]). Quae tamen omnia jam ad posteriora tempora spectant.

Qui tribunicium munus appetebat, ingenuus esse debebat; Caesarum vero temporibus vel id quoque mutatum[5]).

Primis tribuniciae potestatis temporibus complures

---

[1]) Paul. Diac. v. plebs II, 31. plebejum magistratum neminem capere licet, nisi qui ex plebe est.

[2]) Zonar. VII, 15.

[3]) Cic. de prov. consul. 19. si patricius tribunus plebis fuerit, contra leges sacratas.

[4]) Liv. XXVII, 21. XXX, 19.

[5]) Dio Cass. XXXVII, 51.

annos magistratu fungi licebat[1]; quod ne fieret senatus consultum latum est[2] (a. U. 295); nihilominus tamen plebem per complures annos gratos sibi et acceptos tribunos creasse constat[3]; lege demum Genucia a. **411** lata obstricti sunt, ne quis eodem magistratu intra decem annos fungeretur. Annus legitimus tribuniciae potestatis capessendae non erat; vulgo tamen praetura et aedilitas tribunatum praecedebant.

Restant partes: De tribunicia potestate *a)* tribuni plebis in judiciis, *b)* in senatu, *c)* in comitiis, *d)* cetera tribunorum potestas; et Pauca de lege sacrata, quae prelo non sunt submissae.

---

1) Liv. II, 58. III, 14.

2) Liv. III, 21. in reliquum magistratus continuari et eosdem tribunos refici, judicare senatum contra rempublicam esse.

3) Liv. III, 24. 29. 30. 31. 64. V, 29. VI, 35. 38. Dion. Hal. IX, 42. *μετήει πάλιν τὴν δημαρχίαν εἰς τὸν ἐπιόντα ἐνιαυτόν.* X, 19. 22. 26.

VITA.

Natus sum Joannes Stephanus Wolfram Posnaniae a. d. octavum Id. Jan. a. h. s. XXVI. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasium frequentavi posnaniense ad Sanctam Mariam Magdalenam, maturitatis autem testimonio instructus sum Vratislaviae iu gymnasio Friderico, quod Ill. Wimmer rectore floret. Multis in vita impedimentis, quibuscum gymnasio relicto per annos octo pugnandum mihi erat feliciter denique superatis, postquam per semestre unum inter cives Viadrinae universitatis fui, hanc almam Berolinensem Fridericam Guilelmam Universitatem adii et a Stahl Rectore magnifico civibus academicis adscriptus nomenque apud Ill. Encke professus ad studia philologica per sex semestres incubui. Summa demum impetrata venia doctoris honoris appeto.

Studiorum duces habui in philologia: Ill. Boeckh, Haupt, Hertz, Geppert; in philosophia: Ill. Trendelenburg, Michelet, Althaus, Kirchner; in historia: Ill. Ranke, Raumer, Curtius. Quibus viris Clarissimis pro summis in me meritis ex intimo animo gratias quam maximas ago.

THESES.

1. In Soph. Antig. v. 602 ed. Brunckii *κονίς* vocem genuinam esse contendo; confirmandae affero ex Eurip. Alces. v. 74 sqq. verba, quae Tanatos loquitur:

   στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξομαι ξίφει·
   ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν
   ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.
2. In Horatii carmine IV libri II v. 8—12 spurii mihi videntur.
3. Errat Puchta Inst. I, 52 putans unicuique tribuno plebis intercedendo collegae intercessionem tollere licuisse.
4. Qui patriam summo studio non colit, acerrimo bene agendi stimulo caret.
5. Quod in gymnasiis perpauci vulgo discipuli sunt, qui mathesim bene intelligant, ea gravissima est causa, quod nimis tenera ingenia doceri eam solent.
6. Qui bonus magister esse vult, nunquam oblivisci debet, puerum se fuisse.